



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis, Et Breviarii Romani.

In quibus origo cuiusque Ritus, causae historicae, vel mysticae, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, obligatio, & exquisitus vsus, additis opportune Decretis omnibus S. Rituum Congreg. quàm breuissimè explicantur.

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1647

De Dominicis post Pentecost. 21.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9521

2 Octauam in Octauario nostro descriptam arguunt aliqui; quia Microlog. nō laudat Festum sed aliud est loqui de Ecclesia vniuersali, in qua quælibet Dominica Trinitati erat dicata; aliud est loqui de Titulo Ecclesiæ particularis & in hoc sensu Sacra Rituum Congregatio decreuit Octauam Sanctissimæ Trinitatis, & digniorem in propria Ecclesia esse, quam Octauam Corporis Christi. An verò infra Octauam dicatur Symbolum S. Athanasij, vide supra *Secl. cap. 20. num. 3. pag. 81.*

3 In tertia Antiphona ad Laudes, vox, *omnium*, coniungenda est cum, *ore*, non autem cum, *Patri*, ita vt dicas, *in ore omnium.*

4 In Feria secunda sequenti, cum pridie non potuerit legi ob Festum Trinitatis, legitur Primus liber Regum. Microlog. c. 59. & Gemma lib. 4. c. 117. quem librum à Samuele fuisse compositum, testatur liber 1. Paralipom. cap. vlt. hoc est vsque ad cap. 24. nam in sequenti narratur eiusdem obitus Dauidem suppluisse, ait Isid. lib. 6. *Originum c. 2.* quem sequuntur alij. Nathanum, & Gadum alij, ex cap. vlt. 1. Paralipom. Ieremiam potius Torniellus noster existimat probabilius, *sub Anno mundi 2977. n. 2.* Res est incerta. legitur autem de libris Reg. ex decreto Gelasij, vt diximus *Secl. 5. c. 12. n. 8. pag. 67.*

De Festo Corporis Christi.
Cap. XX.

1 Officium scripsit Sanctus Thomas, & habetur in *Opusc. 57.* iuxta ritum illorum temporum. Hodie concordamus cum auctore, seruato ritu Pij Quinti in officio toto, his exceptis. Capitulum in primis Vesperis erat aliud. Lectiones primi Nocturni erant de Scriptura veteri: amoto quarto Responsorio S. Thomæ, additum est sextum de nouo, Pij V. iussu.

2 Per Octauam non mutatur amplius Inuitatorium, neque Antiphonæ ad *Benedictus*, & *Magnificat*. Lectiones quo-

que pro tribus Nocturnis additæ sunt à Pio Quinto; in quibus apparent congruentiæ cum mysterio, etiam in primis Lectionibus, quæ de Arca Testamenti, Eucharistiæ figura, narrationem continent.

3 De Priuilegijs huius Octauæ, si concurrat cum Festo, & Octaua Sancti Ioannis Baptistæ, & qua ratione excludat Semiduplicia Festa, & Duplicia translata, diximus *Secl. 3. cap. de Octauis.*

4 De Simplici fit tantum commemoratio infra hanc Octauam. An nona Lectio erit legenda? Negant aliqui, quia hoc nō dicitur in propria Rubrica; quod tamen dictum fuit in Rubrica posita infra Octauam Ascensionis: sed vna Rubrica explicat aliam, prior posteriorem, & patet debere legi, ex Rubr. gen. *de Commemor. 9. n. 10.*

5 Indulgentiæ concessæ ijs, qui interfunt Horis Canonicis in Festo, per Octauam, valent, etiam si officium dicatur de Sanctis occurrentibus, ex Decreto Ioan. XXII. quod ego legi in antiquo M. S.

De Dominicis post Pentecostem.
Cap. XXI.

1 Non minorem viginti tribus, nec maiorem viginti octo Dominicarum numerum post Pentecostem fore vsque ad Aduentum, satis superque patet, quæ suppleuntur cum Dominicis, quæ supersunt post Epiphaniam, vt docuimus *Sectione 3. cap. 5. de Dominicis pag. 19.* Ponuntur autem in Breuiario Dominicæ viginti quatuor cum proprijs Orationibus, & Euangelijs, quæ fuerunt optimè per Dominicas distributa; Orationes quidem à Sancto Gregorio; Euangelia verò à Sancto Hieronymo; quorum auctoritas sufficiat pro ratione; cur potius hæc, vel illa Oratio; cur hoc; vel illud Euangelium legatur; & hæc vel illa Dominica. Idem ferè, paucissimis mutatis, tum textus, tum ordo Euangeliorum hodie perseuerat à Sancto Hieronymo præscriptus, vt vidimus in eius Comite, seu

feu Lectionario: in primis autem Dominicis post Pentecostem apud minus antiquos erat alios ordo, vel mutata sedes aliquando Dominicæ pro diuersarum Ecclesiarum vsu; quod videre est in Rupert. *toto lib. 12. de diuinis offic.* in Gemma *lib. 4. toto*, & in Durando *lib. 6. toto*. Orationes item, quæ mox sequuntur, Ambrosianæ sunt, & à Sancto Gregorio aliter distributæ, nimirum, Dominicæ quintæ, nonæ; & vigesima prima: reliquæ Romanæ.

2 Tempus autem hoc totum à Pentecoste ad Aduentum, ex Amalar. *de Ord. Antiph. cap. 58.* insinuat humilitatem illam, quam solet sustinere Ecclesia propter absentiam Christi sui Sponsi.

3 De ordine, quo legitur Scriptura Sacra hoc tempore, & quam ob causam, scripsimus supra *Sect. 5. c. 12. n. 8. pag. 67. & seq.*

4 Et quidem vsque ad Augustum legimus libros Regum, quorum secundum scripsit, vel Natan, vel Gad, vel Ieremias; Tertium, & Quartum Ieremias, ex Gemma *lib. 4. c. 117.* qui hausit ab Isid. *lib. 1. de diuin. offic. cap. 12.* & est opinio constantior.

5 Mense Augusto leguntur Sapientiales libri, inter quos Cantica Cantorum infra Octauam B. V. Assumptæ, in eiusdem laudem; & quidem Prouerbiolorum, Ecclesiasticis, Cantici Cant. est sine dubio Salomon auctor: Sapientiæ verò libri facit auctorem eundem Salomonem Isidor. *loco citato* Philonem S. Hieronymus: qui conciliantur à Bellarm. *de Scripioribus Ecclesiasticis*, quod sententiæ Salomonis sunt; earum collector Philo, qui Græcè scripsit, antiquior alio Philone, qui sub Caio Imperatore floruit, Ecclesiasticus quoque legitur per duas Hebdomadas, nisi dematur altera ob breuitatem temporis, appropinquante Septembri quem librum scripsit Iesus filius Sirach nepos Iesus Sacerdotis, cuius meminit Zacharias, vt tradit Isid. *de diuin. offic. loco cit.*

6 Mense Septembri legitur primò Iob: cuius historia vel ab ipsomet, vel à Moy-

se, vel ab aliquo ex Prophetis scripta est, ex Isid. *lib. 6. Originum cap. 2.* Bellarminus *loco cit.* putat à Iob fuisse adnotatas res à se gestas lingua Arabica, & à Moyse deinde ex ijs compositum fuisse librum, quem nunc habemus lingua Hebraica; tum quia Hebræi hoc idem asserunt esse opus Moysis; tum quia dicitur Moyses primus sacrarum litterarum scriptor, qui fuit tamen longè posterior Iobo, & hac ratione in Canonem Scripturarum ab Hebræis admissus fuit hic liber. legitur autem per duas Hebdomadas Septembris.

7 Legitur præterea Tobias in tertia Hebdomada, cuius Historiæ auctor, vel fuit Tobias senior, vel iunior, ait Bellarm. Incertum esse auctorem scribit Isidor. *de diuin. offic. loco citato*. Sed parum de eo legitur propter Ferias Quarta Temporum de quibus in priore tomo diximus: & in officio earum Feriali nihil occurrit specialiter notandum.

8 Circa finem Septembris in Hebdomada quarta, & quinta legitur Iudith cū Esther; libri vero Iudith fuit auctor incertus, ex Isid. *loco citato*. Bellarminus ex Iosephi *historia lib. 1. contra Appionem*, Sacerdoti Eliachim tribuit, qui & Ioaachim, de quo *cap. 4. & 15.* Iudith Achiorum vult esse auctorem Gemma *lib. 4. c. 117.* Esther historia ab Esdra scripta fuit ex Isid. *lib. 6. Originum cap. 2.* Sed Bellarmino magis placet, quod fuerit auctor Mardocheus. Lege Torneillum nostrum *Anno 3650. nu. 3.* & Gemmam *loco cit.*

9 Mense Octobri leguntur libri Machabæorum, quorum primus habet auctorem incertum, ex Isidor. *lib. 1. de diuin. offic. c. 12.* Probabile videtur Bellarmino, fuisse scriptum à Ioanne filio Simonis: sed Gemma *loco citato* docet, Simonem scripsisse prima capita, posteriora Ioannem. Secundum vero librum scripsit Philo Iudæus, ex Gemma *loco citato*; vel Iudæus agrestis, sed eruditus, vt ait Duranti. *lib. 6. cap. 130.* vel certius Iason Cireneus, vt *loco cit.* docet Bellarminus.

10 Mense Nouembri legitur primò Eze-

Eze-

Ezechiel per duas hebdomadas, nisi Ad-
uentus preproperè occupet Nouembrè,
cuius reuelationes, sicuti & Danielis &
12. minorum Prophetarum Synagoga
sapientes viri collegere, ex *Isid. lib. 1. de
diu. offic. cap. 12.* Auctores tamen iidem,
dicendi sunt, qui prophetauerunt. Majo-
res dicti sunt Prophetæ, Isaias, Ieremias,
Ezechiel, Daniel; minores alij duodecim
tum ex August. 18. *Ciuit. Dei c. 29.* quia
prolixiora volumina illi scripsere, hi ser-
mone breues; tum ex Bellarm. quia mi-
norum Prophetarum libri omnes vnico
libro comprehenduntur apud Hebræos,
illi singulos, edidere libros. Ordinem au-
tem temporum, quo scripserunt, habes
supra *Señ. 5. cap. 12. n. 7. pag. 67.*

11. In gratiam Martyrij septem Ma-
chabæorum, si fortè desit Dominica quin-
ta Octobris, iubemur legere, de eo Fer.
5. præcedente dictam Dominicam; &
eodem modo, si Dominica quinta, & Fe-
riæ sequentes fuerint impeditæ, quo mi-
nus de Scriptura legi possit, leguntur in
alijs sequentibus Ferijs post Feriam ter-
tiam, ita vt saltem inchoentur, si minus
omnes de eorundem martyrio possunt
legi Lectiones. Nulla enim est obligatio
legendi totam Historiam de Martyrio
septem Machabæorum, vt ex *Rubrica pa-
ret in Breu. postea ante Fer. 5. Hebdom. 4.
Octobris*: ex qua, vel leguntur in Fer. 5.
6. & Sabbato Domin. 4. vel ijs impedi-
tis omittuntur, quæ legi non possunt: vel
in sua propria Hebdomada quinta le-
guntur in suis proprijs Ferijs, vel in se-
quentibus 4. vel 5. vel 6. vel Sabbato iuxta
ordinem Historiæ, numquam vero ultra
tres Lectiones in qualibet FERIA, ne gra-
uetur clerus. & fuit hoc sancitum, me
presente, in Recognitione Breuiarij sub
Clemente VIII. Qui vero voluerit, vno
eodemque die, eas omnes nouem, vna
simul legere, impeditis alijs diebus, legat
arbitratu suo; sicuti quilibet etiam legere
potest integrum totum textum trium Le-
ctionum pro initio cuiusque Prophetæ
rum, & Lectione vna, ac in Calendarijs
Ecclesiarum satis est imponere necessa-
rium onus Lectionum non autè arbitra-

rium: quod & nos præstitimus in Ordine
nostro diuini officij perpetuo, in Tabulis
eiusdem Habet autè SS. Machabæi Festum
proprium 1. die Augusti, quod omisso-
nem harum Lectionum supplere videtur.

12. Initia Lectionum minorum 12.
Prophetarum legi debent, licet dixerim-
us apud Hebræos constituere vnum
librum; quia plures nihilominus sunt au-
ctores, vt in *Rubrica de Lectionibus di-
citur n. 7.* ita vt, inquit, aliquo modo po-
natur initium Prophetæ, vel in sequenti, vel
in præcedenti FERIA non impedita simili
initio Scripturæ ponendo, vel plura si-
mul initia vno die vt diximus supra *Se-
ñione 5. c. 12. n. 12. pag. 69.*

13. Quid, si, verbi gratia, Festum S. Ca-
tharinæ sit Duplex primæ Classis in sua
Ecclesia, in quo legi ideò debent Lectio-
nes primi Nocturni de communi Vir-
ginum; neque dies amplius vacet ad le-
genda reliqua initia Prophetarum? sæpè
accidit in longiori Aduentu; & tunc omitti
possunt, quæ locum non habent, nam Ru-
brica citata *nu. 7.* ait; *quo ad commodè fieri
poterit*: parumque refert, si in Ecclesia
aliqua particulari non legatur de omni-
bus Prophetis aliquo anno.

14. Lectiones autem secundi Noctur-
ni in prædictis Dominicis concordant
cum Lectionibus primi Nocturni, ita vt
sint quasi earundem Commentaria, ex-
cepta Domin. 3. Septembris, in qua San-
ctus Leo nos inuitat ad ieiunium septimi
mensis, & Domin. 5. Nouembris, in qua
Sanctus Basilius timorem Domini do-
cet, eo quod ea Dominica vltima post
Pentecostem, in Euangelio de fine mun-
di, & de iudicio vniuersali agitur.

15. Responsoria denique Lectionibus
respondent, vt nihil magis; sicuti etiam
Antiphonæ ad *Magnificat* in primis
Vesperis Dominicæ desumuntur è Scri-
ptura legenda in primo Nocturno Do-
minicæ eiusdem: ad *Benedictus*, & *Ma-
gnificat*, in secundis Vesperis, ex Euange-
lio eiusdem Dominicæ, lectio in No-
cturno tertio; ita vt ipsæmet Antiphonæ
sint de Veteri; vel nouo Testamento.
Atque hæc de Proprio de tempore.

S E